**dono** 41 Mars.-lat. **donum** 72 b. Falisc.-lat. **duno** 11 Vest. **dunom** 43 Mars. **dunum** 107 Osc. accus. sing. «donum», vet. «donom dono» cf. AVNOM tit. 10 correctum in *dunom* a Bréalio, Vmbr. *dunu*.

**-dum -du** Osc. particula ex temporali finitiva: *esi-dum*, *isi-dum*, *isidu* al. *ek-kum* ex **ek-dum*. cf. Lat. 'primum-dum, vix-dum' al. '-dem' in 'i-dem, qui-dem' cet. Buecheleri lex. ital. p. VII b.

**duunated** 95 Osc. perfectum indicativi activi 3 pers. sing. «donavit» Bréalius mém. soc. lingu. IV p. 405 et C. Paulius altit. studien II p. 91. CORSSENVS: *daneimom* «donarium» (cf. p. 5.) DEECKIVS: *daieimum* «demum = postquam» in appendice libri nostri.

## E

**e-** pronominale: *e-tanto* Osc. (*e-tantu* Vmbr.) ε-σοτ «id» al. Osc. *e-kass* «has» al. Osc. *e-cuf*, *e-cic* «hos, hic» Pael.

**e** «ex, e» praefixum vide *eh*.

**e** «in» postpositio vide *en*.

**e**? 164 Osc. nota incerta.

**edum** 129,8 Osc. infinitivus activi «edere» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 40; pronomen demonstrativum ex **ed-dum*, ut *pidum* ex **pid-dum* ortum coniectura Bréalii revue crit. 1878 p. 92.

**eh[stít** 136,12 Osc. praesens indicativi activi 3 pers. sing. «extat» Buechelerus comment. Momms. p. 237.

**eestínt** 87 $B_1$ Osc. 3 pers. plur. «extant».

**egmo** 231,4 Osc. nomen substantivum femininum nomin. sing. «res».

**egm[as** 231,5 Osc. genet. sing. «rei».

**egmad** 231,10 Osc. abl. sing. «re».

**egmazum** 231,24 Osc. genet. plur. «rerum». Stirps *eg-ma* cognata cum lat. 'agere' suffixum *ma* habet, ut 'flam-ma, spu-ma'. cf. Mommsenum unt. dial. p. 256.

**eh** pro *ek*, **e** «ex, e» praefixa vocabulis *eh-trad* «extra» Osc., *e-lisuist* «exsolutum est» Pael. cf. Vmbr. *ehe*, *e*, Lat. 'ec' in 'ec-fatus' Terentii Scauri ap. Buechelerum lex. ital. p. VIII a.

Digitized by Google

**eh[stít** vide p. 101.

**ehtrad** 136,31 Osc. adverbium (abl. sing.) «extra», vet. «exstrad».

ειvε]ιμ 253 Osc. idem valet quod *inim*, ειv tit. 232 pro ειvειμ scriptum explicatur vulgo, aliter Buggius. cf. p. 105.

**eíseís** 136,20 Osc. **eiseis** 129,4 Osc. **eizeis** 231,22 Osc. pronomen demonstrativum genet. sing. «eius».

**eíseí** 136,46 Osc. locat. sing. «in eo».

**e]ísaí** 136,57 Osc. locat. sing. «in ea».

**eísod** 136,13 Osc. abl. sing. «eo».

**eizois** 231,23 Osc. abl. plur. «eis».

εσοτ 232 Osc. neutrum «id, hoc».

**eseí** 136,40 **e[seí** 136,51 Osc. vide *eisei*.

**eísak** 143 Osc. **eizac** 231,10 Osc. abl. sing. «ea».

**eisucen** 231,16 Osc. abl. sing. *en* postposita «ab illo» ad sensum.

**eizeic** 231,7 21 Osc. locat. sing. «in eo».

**eizuc** 231,29 30 Osc. accus. plur. «ea, illa».

**eizazunc** 231,24 Osc genet. plur. «earum».

**eizaisc** 231,9 Osc. abl. plur. «eis».

**esuc** 8 Marr. abl. sing. «eo». cf. **es[u]k** 7 Marr., quod aliter nunc Deeckius in appendice.

**esídum**, **esidu**, ***esi[dum** vide *isidum*, *isidu*.

**esmen** 1 Sab.-Picen. 7 Marr. lege Deeckium l. c. et Corssenum Kuhn. X p. 6.

**esmūs** 4 Sab.-Picen. Deeckius **esmos** Corssenus.

**esuf** 231,19 21 Osc. **essuf** 95 Osc. varie explicatur: «ipse» pronominis demonstrativi *eso-* forma particula *unt*=Vmbr. *hont*, *ont* et *s* suffixo nomin. sing. ampliata, ita ut *esuf* ab **es-unt-s* ortum sit, coniectura Buecheleri rhein. mus. XXX p. 436 lex. ital. p. VIII b. umbricorum p. 138, 193 ap. Brunsium ed. IV p. 49; *esuf* pro nom. *esus* aut adeo triplici *s* suppositum putat Leo rhein. mus. XXXVIII p. 7; aliter Langius rhein. mus. XXX p. 296 sqq., Curtius ap. Kuhn. VI p. 236, alii. cf. Danielssonum ap. C. Paulium altit. stud. III p. 141 sqq., qui hanc formam adverbium esse suffixo *f-fi* Graec. φι figuratum uberius explicat Aufrechtum Ebelium Huschkium secutus.

**eite** 13 Pael. imperativus activi 2 pers. plur. «ite», sensu «este» vel «fite» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 279, «ite» proprio sensu auctore Buggio altit. stud. p. 74. cf. *eituns*.

**eít.** 161 Osc. nota vocabuli quod sequitur.

**eítuns** 160, 162 **eítu[ns** 163 Osc. vocabulum adhuc non satis clarum: nomen, et non verbum ut vulgo explicabatur, nomin. sive sing.

Digitized by Google

ut Lat. in *-unus* vel *-undus*, sive plur. ut Osc. *humuns* Lat. 'gluttones' formatum, coniectura Buecheleri rhein. mus. XXXIII p. 41 lex. ital. p. XI b. cf. eitam quae hir vir sagacissimus de hoc vocabulo scripsit ad Nissenum pompejanische stud. p. 498 sqq., qui *eituns* vocabulo «iter» vertit; praesens indic. act. 3 plur. «eunt» Mommsenus unt. dial. p. 257 alii; imperat. act. 3 plur. «eunto» Aufrechtus zeitschr. f. vgl. sprachforsch. I p. 188, alii.

**eítiuvam** 143 Osc. **eituam** 8 Marr. 231,19 Osc. nomen substantivum femininum accus. sing. «pecuniam».

**eituas** 231,9 13 bis 18 27 Osc. genet. sing. «pecuniae».[1])

**eítiuvad** 143, 146 **eítiuv[ad** 156a. Osc. abl. sing. «pecunia».

**eítiv** 89 Osc. nota vocabuli *eitiuvad*. De etymo vide Aufrechtum zeitschr. f. vgl. sprachforsch. II p. 148, Buggium l. c. III p. 419 sq., Corssenum beitr. z. ital. sprachk. p. 567, Buechelerum ap. Brunsium ed. IV p. 47 qui *eitiuva- eitua-* ex *ei* «ire» derivarunt; ex *eit, oit-* (cf. «oitor, oitile») 'brauchen' derivat nunc Danielssonus ap. C. Paulium altit. stud. III p. 198 sq., qui de origine *eitua* stirpis multis verbis disputat l. c. p. 193 sqq. cf. Iordanum symb. ad hist. relig. ital. 22 sqq.

**eít. eítuns** vide p. 102.

**Ec.** 47 Volsc. nota praenominis virilis «Egnatius»? CIL. IX p. 711 col. 4 sqq.

**ecuc** 13 Pael. pronomen demonstrativum neutrum nomin. sing. «hoc».

**εκο** 236 Osc. accus. sing. «hoc»; de **ek.** 113 Osc.: *ek(o)* cf. Buechelerum rhein. mus. XXXIX p. 316.

**ekak** 142, 143, 145 Osc. **e]kak** 96 Osc. accus. sing. femin. «hanc» Aufrechtus zeitschr. f. vgl. sprachf. II p. 56, Buechelerus jenaer. litzeitung 1874 p. 610, Nissenus pompejan. studien p. 531 sqq.; adverbium (abl. sing.) «hic» vulgo et nuper C. Paulius altit. stud. II p. 107 sq.

**e]kad** 152 Osc. **ekhad** 150 Osc. abl. sing. «hac.»

**ekík** 93 Osc. **ecic** 13 Pael. adverbium (locat. sing.) «hic».

**ekas** 112 bis Osc. **ekask** 87 $B_1$ Osc. feminin. nomin. plur. «hae, haece».

**ecuf** 14 Pael. masc. accus. plur. «hos» auctore Buechelero rhein. mus. XXXV p. 496 lex. ital. p. VIIIa.; adverbium loci suffixo. *f-fi* Graec. φι

---

[1]) Tabulae Bantinae v. 22 *ei* varie intellegitur: *ei(tuo)* nomen substantivum femininum nomin sing. «pecunia» vulgo, *ei(s)* pronomen demonstrativum «celui-ci» coniectura Bréalii mém. soc. lingu. IV p. 395.

Digitized by Google

formatum «hic» coniectura Danielssoni ap. C. Paulium altit. stud. III p. 151 sq.

**ekass** 142 Osc. femin. accus. plur. «has».

**eka** 120 Osc. casus incertus. cf. Lat. 'eccum, eccos, ecce' al. Buechelerus lex. ital. p. VIIIa., Buggius altit. stud. p. 69.

**ekkum** 136,27 41 Osc. adverbium ex **ek-dum* ortum «item». cf. Mommsenum unt. dial. p. 257, Buechelerum comment. Momms. p. 234.

**ekss** 136,10 Osc. **ex** 231,7 Osc. coniunctio «sic, ita». cf. Buggium ap. Kuhn. VI p. 27 sqq., Corssenum l. c. XIII p. 165.

**eksuk** 160, 161, 162 Osc. **ek[s]uk** 163 pronomen demonstrativum neutr. abl. sing. «hoc».

**exac** 231,8 23 Osc. feminin. abl. sing. «hac».

**exeic** 231,17 26 **exeic** 231,11 Osc. locat. sing. «in hoc».

**exaiscen** 231,25 Osc. feminin. abl. plur. *en* postposita «his in».

**elisuist** id est *elisu-ist* 13 Pael. perfectum passivi 3 pers. sing. «exsolutum est» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 286 sq. lex. ital. p. VIII a. XVI a.; futurum exactum coniectura Bréalii revue arch. 1877 p. 414. Buecheleri interpretatio valde probabilis mihi videtur.

***eloqui*, *reloqui*** Varr. l. l. VI 57: «Loqui ab loco — hinc dicuntur eloqui ac reloqui (eloquium ac reliqui cod.) in fanis Sabinis, e cella dei qui eloquuntur».

**em** pro *en* particula praefixa vocabulis *em-bratur* Osc. *em-pratois* Pael. cui respondent Vmbr. *en-*, Lat. «in-» cf. Buechelerum lex. ital. p. V a.

**embratur** 282 ter Osc. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «imperator», cf. βρατωμ, *bratom* al.

**empratois** 13 Pael. participium perfecti passivi neutr. abl. plur. «imperatis», ad sensum «mandatis, iussu» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 285 lex. ital. p. Va. VIIIa.

**en, e, in** postpositae vocabulis *exaisc-en* «in his» Osc., *pritrom-e* «in prius» *lex-e* «in leges», *praicim-e* Pael., *hortin* «in horto», *postin; en* vice fungitur «ab» vel «ex» praepositionis: *eisuc-en* «ab illo» *imad-en* «ab ima» Osc.; de *hortin kerriiin* cf. s. v. — Vmbr. *en, em, e,* Lat. 'pro-in, ex-in' al.

**Entrai** 87 $A_8$ $B_{10}$ Osc. deae nomen dat. sing. «*Interae», de etymo lege Grassmannum ap. Kuhn. XVI p. 118.

**Erine** 41 Mars.-lat. dat. sing. «Erino».

**Erinie** 41 Mars.-lat. dat. sing. «Eriniae».

Digitized by Google

**Esalico** 45 Mars. nomen adiectivum masculinum accus. sing. «Issalicum», ad Issam lacus Fucini insulam pertinens. Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 490. De Issa lege Dionys. ant. I 14.

**esaristrom** 47 Volsc. nomen substantivum neutrum accus. sing. «sacrificium». cf. *esos*.

**eseí** εσοτ **esuc esídum** al. vide p. 102.

**esos** 39 Mars. nomen substantivum dat. plur. «dis» auctore Buggio altit. stud. p. 41. cf. *aisos* et *esaristrom*, Vmbr. *esono*, Etr. *aesar* al. cf. Buecheleri lex. ital. p. IVa.

**ezum** 231,10 infinitivus «esse», Vmbr. *erum*.

**sum** 135 140 a. Osc. praesens indicativi 1 sing. «sum», vet «esum» Varr. l. l. IX 100.

**est** 72 a. Falisc.-lat **íst** 136,12 [13] 15 31 34 40 56 **ịst** 13 Pael. 3 pers. sing. «est», Vmbr. *est*.

**set** 87 A1 231,25 Osc., 3 plur. «sunt.», Vmbr. *sent*.

**sunt** 72 b. Falisc.-lat.

**estud** 136,40 44 231,12 23 26 30 Osc. **estu** 47 Volsc. imperativus 3 pers. «esto», vet. «estod».

**et** 41 Lat.-mars., Vmbr. *et*.

**etanto** 231,11 26 Osc. nomen adiectivum femininum nomin. sing. «tanta», Vmbr. *etantu*.

**Evkloí** 87 A3 25 B4 Osc. nomen dei «Incluto» Εὐκλεῖ. cf. Grassmannum ap. Kuhn. XVI p. 106.

EC⅄EIX 3 Sab. Picent.: *ehoelꝺ* Deeckius in appendice.

CORSSENVS: *elfom* 7 fortasse accus. sing. aut infinitivus act. praes. *ems* 7 pro *emens* perfectum 3 pers. plur. «emerunt» (cf. p. 7), aliter Deeckius in appendice. BVGGIVS: εινκαπιδ 232 «incepit» ap. Bezzenbergerum X p. 114.

## F

**f** ad n. 30 nota Lat. «filia», 38 Pael. 58, 64, 66 bis (cf. p. 25), 69, 70, 72 b. bis, 77 **fi** 64, 73 Falisc. «filius».

**faamat** 160, 161, 162 **faana]t** 163 Osc. praesens indicativi activi 3 pers. sing. «habitat» post AK. umbr. spr. I p. 76 vulgo, cf. Corssenum ap. Kuhn. XXII p. 290 sqq.; «tendit» in sensu militari Nissenus pompejan. stud. p. 498 sqq. cf. *famelo*, *fiml*.

**faber** 14 Pael. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «faber» cf. Lat. 'fabrica, adfabre' al. *forte fāber* «fortunae faber» Buechelerus rhein. mus. XXXV p. 496 lex. ital. p. IX b.

Digitized by Google

**façia** 47 Volsc. praesens coniunctivi activi 3 pers. sing. «faciat», Vmbr. *façia, feia.*

**fefacid** 231,10 Osc. perfectum coniunctivi 3 pers. sing. «fecerit».

**fefacust** 231,11 17 Osc. futurum exactum activi 3 pers. sing. «fecerit»; de *fefacid* cf. Osthoffium zur gesch. d. perfects p. 187 sqq.

**factud** 261,9 Osc. imperativus 3 pers. sing. «facito», vet. «facitud».

**facus** 231,30 Osc. nomin. sing. «factus». cf. Buggium ap. Kuhn. II p. 383 III p. 425 sqq.

***Falacer*** Varr. V 84: «flamen Falacer a divo patre Falacre». cf. VII 5 et tene haec Mommseni: „Diesen sonst unbekannten Gott für sabinisch zu halten bestimmt mich der sabinische Ort Falacrine oder Falacrinum, Vespasians Vaterstadt" unt. dial. p. 351.

**Falesce** 72 b. Falisc.-lat. nomin. plur. «Falisci», Φαλισκοι, de qua gente lege dissertationem Garruccii annali dell'inst. 1860 p. 211 sqq.

***famel*** Paul. Festi p. 87: «Famuli origo ab Oscis dependet, apud quos servus famel nominabatur, unde et familia vocata».

**famelo** 231,22 nomen substantivum femininum nomin. sing. «familia», vet. «famelia»; 'famul' ap. Ennium ann. 317 Lucret. III 1033, Vmbr. *famedias*; de origine *famelo* ex **famello* — **fameljo* Buecheleri lex. ital. p. IX a. — cf. vide Danielssonum ap. C. Paulium III p. 177 sq.

**far** 129,8 Osc. nomen substantivum neutrum accus. sing. «far.», Vmbr. *far, farer.*

***fasena*** Varr. ap. Vel. Long. de orthogr. VII p. 69 K.: «non nulli harenam cum adspiratione, sive quoniam haereat, sive quod aquam hauriat, dicendam existimaverunt; aliis sine adspiratione videtur enuntiandam. Nos non tam propter illas causas quas supra proposuimus harenam dicimus, quam propter originem vocis, siquidem, ut testis est Varro, a Sabinis fasena dicitur, et sicut s familiariter, in r transit, ita f in vicinam adspirationem mutatur».

**fatíum** 128 bis Osc. infinitivus activi «fari».

***februum*** Varr. l. l. VI 13: «februum Sabini purgamentum et id in sacris nostris verbum.»

***fedus*** Varr. l. l. V 97: «ircus, quod Sabini fircus: quod illic fedus, in Latio rure edus». Pseud. Apul. p. 94 ed. Osan.: «M. Terentius scribit hedum lingua Sabinorum fedum vocatum, Romanosque corrupte hedus pro eo quod est fedus habuisse, sicut hircus pro fircus, et trahere pro trafere». cf. p. 125 Paul. Festi p. 84 Vel. Long. VII p. 69 K.

Digitized by Google

**feihoss** 136,11 Osc. nomen substantivum accus. plur. «fines» Buechelerus, *ehtrad feihoss* «ausserhalb der Mauern» C. Paulius, alias interpretationes vide s. v. q. s.

**feihois** 136,13 Osc. abl. plur. «finibus» Buechelerus qui Lat. 'finis' ex *fig-nis* (cf. 'figere') derivat: comment. Mommsen. p. 235 sq.; similiter Mommsenus, qui haec vocabula ut «res fixae Grenzpfähle» interpretatus est: unt. dial. p. 127, 308; *post feihois* «hinter den Mauern» C. Paulius altit. studien II p. 112 sq. („*feihs* mit gr. τοῖχος unmittelbar identisch, cf. Bugge K.Z. 5, 4; Grassmann K.Z. 12, 125"); «ficos ficis» hic olim viderunt Peterus allgem. litt. zeitung. Halle 1842 II p. 77 et Corssenus ap. Kuhn. XIII p. 188 sqq.

**fefacid fefacust** vide p. 106.

**Fensernu** 264 Osc. incerti situs, nomen proprium ad cives oppidi cuiusdam pertinens genet. plur.

***Feronia*** Varr. l. l. V 74: «Feronia, Minerva, Novensides a Sabinis. Paulo aliter ab eisdem dicimus, Herculem, Vestam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem. Et arae Sabinam linguam olent quae Tati regis voto sunt Romae dedicatae; nam ut Annales dicunt, vovit Opi, Florae, Vediovi Saturnoque, Soli, Lunae, Volcano et Summano, item Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae Lucinaeque. E quis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices, ut arbores quae in confinio natae in utroque agro serpunt: potest enim Saturnus hic de alia causa esse dictus atque in Sabinis, et sic Diana et de quibus supra dictum est» cf. Mommsenum unt. dial. p. 351.

**fert** 42 Mars.-lat.

**feret** 8 Marruc. futurum indicativi activi 3 pers. sing. «feret» Buechelerus; praesens «fert» Corssenus alii.

**ferenter** 8 Marruc. futurum indicativi passivi 3 pers. plur. «ferentur» Buechelerus lex. ital. p. IX a; praesens «feruntur» Corssenus ap. Kuhn. IX p. 139 sqq.; de hac Buecheleri interpretatione Buggii sententiam vide ap. me IIMD. p. 106.

**ferom** 47 Vols. de forma et significatu certant: nomen substantivum neutrum nomin. sing. «ferrum» Bréalius rev. arch. 1876 p. 242 sq., aliter Deeckius in appendice; infinitivus activi «ferre» Corssenus de volsc. ling. p. 8 sq. et Buechelerus lex. ital. p. IXa; nomen adiectivum neutrum «iustum» Mommsenus unt. dial. p. 325.

**fertlid** 13 Pael. nomen. adiectivum abl. sing. «fertili» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 286 lex. ital. p. IX b.

Digitized by Google

**fesn.** 31 Pael. pro *fesna* per compendium scriptus nomin. sing. [lapsu calami accusativum (!) scripsi IIMD. p. 109]. cf. vocabula quae sequuntur.

**fiísno** 136,30 Osc. nomen substantivum femininum nomin. sing. «fanum, templum».

**fiísnam** 136,32 **físnam** 136,45 Osc. accus. sing.: «fanum, templum» vulgo. cf. Corssenum ap. Kuhn. XI p. 418 sqq. XIII p. 187 sq., Buechelerum lex. ital. p. IX b., nuper de his vocabulis scripsit C. Paulius altit. studien II p. 113, 121.

**festos** 72 a. Falisc.-lat.

**fi** vide p. 105.

***Fides*** vide *Feronia.*

**fifikus** 129,3 Osc. futurum exactum activi 2 pers. sing. «fixeris, defixeris, decreveris» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 27 sq. cf. Buggium altit. stud. p. 31 et Osthoffium zur gesch. d. perfects p. 271 sq.—Vmbr. *fiktu afictu* al.

**fiísno fiísnam** al. vide supra.

**fíml** 106 Osc. fortasse per compendium scriptum «famulus?» «*Mitl Metiis Mh. fiml.* quasi Marcipor» Buechelerus lex. ital. p. IX a.; cognomen virile «Fimulus» vulgo.

**finem** 45 Mars. «finem».

**firata** 13 Pael. participium perfecti passivi femininum sensu nominis substantivi positum abl. sing. ad sensum «immolatione» coniectura Buecheleri rhein. mus. XXXIII p. 284 sq. lex. ital. p. IX b., «ture?» Buggius altit. stud. 72 sq.

***fircus*** vide *fedus.*

**Físanis** 163 Osc. nomen virile nomin. sing. «Fisanius».

**Fistel** 261 e. nota v. q. s.

**Fistlois** 261 c. f. **Fistluis** 261 a. b. abl. plur. «Phistelia» Φιστέλια (cf. n. 261a.)

**Fistlus** 261 d. fortasse pro *Fistluis* abl. plur. *i* littera post *u* intercepta. Nummos, qui hoc nomem exhibent non ad Puteolos, ut vulgo putarunt, pertinere nuper docuit Dresselius histor. u. philol. aufsätze Ernst Curtius 1884 p. 247 sqq.

**Flahiuí** 112 bis Osc. epitheton dei dat. sing. «tamquam Fulguratori, Fulminatori» Buechelerus lex. ital. p. IX b., dubitat Iordanus ap. Bezzenbergerum VI p. 205.

**Flapíu** 128 Osc. forma nominis dubia.

***Flora*** vide *Feronia.*

**Flusare** 10 Sabin. nomen adiectivum abl. sing. vulgo «Florari». cf.

Digitized by Google

Corssenum ap. Kuhn. IX p. 164 sq.; dat. sing. coniectura Bréalii rev. arch. 1876 p. 301 cf. *mense Flusare* tit. Latini Furfonensis.

**Fluusaí** 87 $A_{24}$ 147 Osc. deae nomen dat. sing. «Florae».

**Fiuusasiaís** 87 $A_{20}$ dat. plur. nominis dearum vulgo «*Florariis, Floralibus»; feriarum nomen abl. plur. coniectura Bréalii mém. de la soc. lingu. IV p. 141. *Fiuusasiais* fortasse per errorem aeri insculptum pro *Fluusasiais*.

**Folcozeo** 73 Falisc. **Folcuzeo** an **Folcuio**? 77 Falisc. nomen virile nomin. sing. «Folcosius».

**Folcuio**? 79 Falisc. lectio minime certa.

***Fors*** vide *Feronia*.

**forte** 14 Pael. nomen substantivum genet. sing. «fortis», sensu «fortunae» Buechelerus rhein. mus. XXXV p. 496 lex. ital. p. IX 6. cf. *faber*.

**fortis** $231_{12}$ Osc. adverbium «forte».

***Fortuna*** vide *Feronia*.

**Frentreí** 257 a. Osc. locat. sing. «Frentri» nomen oppidi cuiusdam Frentanorum.

**Freternum** 257 b. Osc. genet. plur. «Freternorum» nomen titulis et litteris Latinis, quod sciam, alienum.

**fruktatiuf** $136_{21}$ **fr[uktatiuf** $136_{21}$ Osc. nomen substantivum femininum nomin. sing. «usus, fructus, χρῆσις» Buechelerus comment. Mommsen. p. 231 lex. ital. p. X a. Buggium secutus, qui *fruktatiuf*, *oittiuf*, *tribarakkiuf*, ex **fruktation-s*, **oittion-s*, **tribarakkion-s* extitisse recte coniecerat ap. Kuhn. XXII p. 431 sqq. ex parte adiutus ab Ebelio l. c. VI p. 423; varie interpretabantur Langius die taf. von Bantia p. 12, Corssenus ap. Kuhn. XIII p. 172 sqq., Savelsbergius l. c. XXI p. 133.

**Frunter** 102 Osc. cognomen virile nomin. sing. cf. Deeckium etrusc. forsch. u. stud. V p. 29 sq.

**Frus** 225 Osc. cognomen virile «Frons» vulgo, sed fortasse scripturae compendium.

**fufans** $136_{10}$ Osc. inperfectum indicativi 3 pers. plur. «erant» post G. Curtium zeitschr. f. alterthumwiss. 1847 vulgo, plusquamperfectum «fuerant» frustra voluit Ebelius ap. Kuhn. V p. 410 sqq.

**fusíd** $136_{19}$ **fus]íd** $136_{23}$ Osc. imperfectum coniunctivi 3 pers. sing. «foret, esset» Buechelerus commentt. Mommsen. p. 233, sed cf. Stolzium zur lat. verb. flexion. I p. 41 sq.; perfectum coniunctivi «fuerit» post Kirchhoffium allgem. monatsschrift 1852 p. 821 alii; futurum coniunctivi (optativi) coniectura Buggii ap. Kuhn. XXII p. 444 sqq.

**fuid** $231_{28\ 29}$ **fu]íd** $231_{28}$ Osc. perfectum coniunctivi 3 pers. sing. «fu-

Digitized by Google

erit» Buggius ap. Kuhn. VIII p. 38 sqq. alii; praesens coniunctivi «sit» Mommsenus unt. dial. p. 298 et Bréalius mém. soc. lingu. IV p. 392.

**fust** 231,19 22 bis 23 28 29 **fjust** 231,30 futurum 3 pers. «erit». Vmbr. *fust*. cf. Vmbr. *furent, futu.*

**Futreí** 87A4 **Fuutreí** 87B3 Osc. deae nomen dat. sing. «Creatrici, Genetrici, Matri» cf. Henzenum annali dell'inst. 1848 p. 398, Mommsenum unt. dial. p. 310 Buechelerum lex. ital. p. X a.

## G C

**C.** 14, 15, 22 bis, 31, 36 Pael., 42 Lat.-mars., 57, 66?, 69 Falisc. 72 b. Falisc. lat. 109, 251 Osc. idem valet quod *G* nota.

**G.** 131 bis, 182, 183, 212 bis, 280, 271 sexies, 282 quinquies Osc. **G?** 98, 230 Osc. «Gavius, Gavii f.»

**Ca.** 43 Mars., 47 Volsc., 61 bis Falisc. «Gavius, Gavii f.»; 56 bis, 61 b. «Gavia» praenomen mulieris.

**Cavio** 75 Falisc. **Caio** 77 Falisc. praenomen virile nomin. sing. «Gavius».

**Cavi** 49, 68 Falisc. genet. sing. «Gavii».

**Cavia** 63 b., 74 **Cavjia** 63 a. Falisc. «Gavia».

**Gaavliis** 137 Osc. **Gavliis** 128 Osc. nomen virile nomin. sing. «Gavius» quod saepissime exhibetur titulis Latinis CIL. IV p. 230 col. 3 X p. 1064 col. 1 IX p. 713 col. 3 al.

**Carconia** 60 Falisc. nomen mulieris nomin. sing. «Gargonia». CIL. IX 1508 *Gargonia Tigris* 5278 *Gargonia Alete* 5019 *L. Gargoni L. f.* cf. *Carconia* ap. Murat. 801,3, *Carcunia* Etrusc.F. 150, 628. De *Ca. Aconia* lectione Detlefseni vide IIMD. p. 50.

γελα Steph. Byz. de urbibus: Γέλα πόλις Σικελίας — — καλεῖται δὲ ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα· ὁ δὲ ποταμὸς, ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ· ταύτην γὰρ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι.

**Geneţaí** 87A15 B18 Osc. nomen deae dat. sing. «Genetrici». cf. Buggium ap. Kuhn. V p. 10.

**Gn.** 94, 188 Osc. nota praenominis virilis «Gnaeus» vet. «Gnaivos» cf. *Gnaivod* CIL. I 30.

**Cnaivlies** 135 Osc. nomen virile genet. sing. «Gnaei».

**cnatois** 35 Pael. dat. plur. «gnatis, filiis» cf. CIL. I p. 587 col. 1.

**gon-** «con» praefixum vocaculis quae sequuntur. cf. *kom-cun.*

**gondecorant** 72 a. Falisc.-lat. «condecorant».

**gonlegium** 72 a. Falisc.-lat. nomin. sing. «conlegium»

**gusmus**? 218 Osc. lectio Garruccii minime certa.

Digitized by Google

# H

***haba*** Terent. Scaur VII p. 13 K.: «quam Falisci habam nos fabam appellamus.»

**hafiest** 231,8 Osc. futurum activi 3 pers. sing. «habebit» cf. *hipid hipust*, de *haf*, *hip* stirpibus vide Bréalium mém. soc. lingu. IV p. 392, de huius futuri forma Osthoffium zur gesch. d. perfects p. 181 sq.

***Halesus*** Serv. ad aen. VII 695: «Faliscos Halesus condidit. Hi autem immutato H in F, Falisci dicti sunt: sicut febris dicitur, quae ante hebris dicebatur» al.

**hanustu** 13 Pael. nomen adiectivum neutrum accus. sing. «onustum» secundum Gellii III 3 Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 280 cf. lex. ital. p. X b., «honestum» Buggius altit studien p. 78; imperativus activi 2 pers. sing «curato» Bréalius revue arch. 1877 p. 415.

**Haracna**? 66 Falisc. «Arachna?»

**harisp]ex**? 67 Falisc.

**hb**. 101 Osc. nota figuli cuiusdam.

**he** 60, 62 Falisc. **h]e** 64 **hei** 61a Falisc. **heic** 66 **he** 63 b. Falisc. adverbium (locat. sing.) «hic», vet. «heic».

**Heírennis** 137 Osc. nomen virile nomin sing. «Herennius».

**Heírens** 225 Osc. praenomen virile nomin. sing. «Herenus» secundum 'Octavius Herrenus' Macrobii sat. III 4, 111 Buechelerus rhein. mus. XXX p. 447, «Herennius» vulgo.

****Herenniu** «Herennius» 289 tit. Aequiculani ut creditur ficticii.

**Heírenem**? 85 Osc.

**Herenni** 164 Osc. scriptura fortasse mutila.

**Helevis** 15, 17 Pael. **Helevii** 230 Osc. **Helleviis** 128 Osc. nomen virile nomin. sing. «Helvius» CIL. IX 3188 *L. Helvius Faustus*, *L. Helvi Probatus* 2285 *C. Helvi C. f. Variaes* al. 3254 *Helvia* al.

**her**. 88 Osc. nota pro *Herentatei* «Veneri» Mommsenus unt. dial. s. v.; pro *Herentatei* sive *Herekloi* sive *Herukinai* «Veneri, Herculi, Erycinae» Corssenus ap. Kuhn. XV p. 246; pro *heritum* particip. perf. pass. «votum» Bréalius revue arch. 1876 p. 302.

**Herclit** 17 Pael. cognomen virile nomin. sing. pro *Herclit(o)s* «Heraclitus».

***Hercules*** vide *Feronia*.

**Herec**. 31 Pael. nota «Herculi».

**Herekleís** 136,11 24 30 32 Ηερεκλε[ι]ς 245 Osc. sing. «Herculis» vet. «Herculi» (cf. Varro l. l. VIII 26).

Digitized by Google

****Hereklei** 289 tituli Aequiculani litteris Oscis scripti ut creditur spurii. cf. formam dativi quae sequitur.

**Herekloí** 87 $A_{13}$ $B_{16}$ Osc. **Herclo** 11 Vest. dat. sing. «Herculi». De *Herclo-* Italorum lege Mommsenum unt. dial. p. 261 sq., contra quem postea scripsit Grassmannus ap. Kuhn. XVI p. 103 sqq.; de dativo Vestinorum cf. Corssenum ap. Kuhn. XV p. 242 sqq.

**Herenni **Herenniu** vide p. 111.

**Herentas** 13 Pael. nomen deae nomin. sing. «Venus» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 280 lex. ital. XIa; genet. sing. «Veneris» voluit Buggius altit. stud. p. 78, aliter Bréalius revue arch. 1877 p. 415.

**Herentateís** 140 a. Osc. genet. sing. «Veneris, Volupiae».

**Herentateí** 140 b. Osc. dat. sing. «Véneri, Volupiae» vulgo; *herentatei* nomen substantivum ut Lat. voluntas formatum «ex voto» aut «decreto»: *herentatei Herukinai(om)* «decreto Herculanensium» novissima coniectura Bréalii revue arch. 1876 p. 302 cf. revue crit. 1885 p. 180. De etymo lege Mommsenum unt. dial. p. 262 et Grassmannum ap. Kuhn. XVI p. 118.—vide Hesychii Ἐριέντης· Ἀφροδίτης ἐπώνυμον.

**heriiad** 128 Osc. praesens coniunctivi activi 3 pers. sing. «velit» vulgo, ad sensum «capiat, capessat» Buggius ap. Kuhn. XX p. 458 sqq. αἱροῖτο Buechelerus lex. ital. p. X b.

**herest** $231_{,12\ 18\ 24\ 26}$ Osc. futurum activi 3 pers. sing. «volet», Vmbr. *heriest.*

**[hereset]** $136_{,27}$ Osc. futurum 3 pers. plur. «volent» Buechelerus comment. Mommsen. p. 233.

**h]errins** $136_{,34}$ imperfectum coniunctivi activi 3 pers. plur. «caperent» Buechelerus comment. Mommsen. p. 237 sq., sed cf. Stolzium zur lat. verbal-flex. I p. 41 sq.; perfectum coniuntivi «ceperint» Corssenus ap. Kuhn. VI p. 423 XIII p. 242 sq. alii, futurum I coniunctivi (optativi) Buggius ap. Kuhn. XXII p. 447.

**heriam** $129_{,1}$ Osc. nomen substantivum femininum accus. sing. «arbitrium» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 76, «regnum» Buggius altit. stud. p. 13.

***herna*** Schol. Veron. ad Verg. aen. VII 684 'Hernica saxa colunt']: «Marsi lingua sua saxa hernas vocant. . . [Ana]gniam habitant Marsorum coloni. Hernica igitur quasi Marsica». Serv. ad l. l. «Sabinorum lingua saxa hernae vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis secum elicuit et habitare secum fecit saxosis in montibus. Vnde dicta sunt Hernica loca et populi Hernici», de quo testimonio cf. Mommsenum unt. dial. p. 348 not. 6. Fest. epit. p. 100: «Hernici dicti a saxis, quae Marsi herna dicunt».

Digitized by Google

**hiretum** 10 Sabin. participium perfecti passivi neutrum nomin. (non accus. ut per errorem ap. me IIMD. p. 115) sing. «libitum» Corssenus ap. Kuhn. IX p. 167 sq., «votum» Bréalius revue arch. 1876 p. 301, «electum» Bucchelerus lex. ital. p. X b. cf. *heriiad. herest* al.

**hipid** 231,8 14 17 Osc. perfectum coniunctivi activi 3 pers. sing. «habuerit» vulgo; praesens coniunctivi, ut Lat. 'sit velit', Osc. *fuid* formatum «habeat» coniectura Bréalii mém. soc. lingu. IV p. 392.

**hipust** 231,11 Osc. futurum exactum activi 3 pers. sing. «habuerit». De origine scripserunt inter alios Buggius ap. Kuhn. III p. 419 XXII p. 449 et Corssenus l. c. XI p. 371, cf. Danielssonum ap. C. Paulium altit. studien III p. 196.

**Herukinaí** 140 b. Osc. cognomen deae dat. sing. «Erycinae», Ἐρυκίνῃ vulgo; scripturae compendium pro *Herukinaiom* «Herculanensium» nunc interpretatur Bréalius revue crit. 1885 p. 180.

**Hirmio** 69 Falisc. nomen virile nomin. sing. «Hirmius».

***hirpus*** sive *irpus* Paul. Festi p. 106: «Irpini appellati nomine lupi, quem irpum dicunt Samnites; eum enim ducem secuti agros occupavere». Strab. V 4, 12: ἑξῆς δ' εἰσὶν Ἱρπῖνοι καὐτοὶ Σαυνῖται· τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας· ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον. De Serv. ad aen. XI 785: «nam lupi Sabinorum lingua hirpi vocantur» cf. Mommsenum unt. dial. p. 263.

**horz** 87 B23 Osc. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «hortus, lucus, templum τέμενος».

**hortoí** 87 B2 Osc. dat. sing. «horto, luco, templo».

**hortom** 87 A20 Osc. accus. sing. «hortum, lucum, templum».

**hortín** 87 A1 Osc. «in horto, luco, templo»: '*hortín* est pour *hortei* (locatif) ou *hortoi* (datif)+*en*' auctore Bréalio mém. de la soc. de lingu. de Paris IV p. 140, formam locativi quandam hic fingebant Henzenus annali dell'inst. 1848 p. 389 sq., Aufrechtus zeitschr. f. vgl. sprchf. I p. 88, Corssenus ap. Kuhn. V p. 119 sqq. alii.

**Hortiis** 88 Osc. nomen virile nomin. sing. «Hortius» cf. CIL. X 6268 *C. Hortorio—M. Hortorio*—3780, 2,4 *Cn. Hortionius* al.

**Hosidiis** 83 Osc. nomen virile nomin. sing. «Hosidius». CIL. X. 1401 *Cn. Hosidio Geta* 2527 *C. Hosidi Leonae* 1597 *Hosidiae Afrae.*

**huc** 72 a. Falisc.-lat. acc. sing. «hoc».



Digitized by Google

**humuns** sive **homons** 129,9 nomen substantivum masculinum nomin. plur. «homines» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 41.

**hu[n]truis** [1]) 129,7 (**ho[n]trois** Bugg.) Osc. nomen adiectivum masculinum abl. instr. plur. «inferis» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 36 sq.; subst. dat. plur. «dis inferis» Buggius altit. stud. p. 40. cf. Vmbr. *hutra*, *hondra*, *hondomu* al.

# I

**ísídum** 143 Osc. **ísídu** 144, 145 Osc. **esídum** 96 Osc. **esidu** 95 Osc. ***esi[dum** 287 tit. fortasse spurii pronomen demonstrativum masc. nomin. sing. «idem», vet. «eisdem».

**íossu** 142 **í[os]su** 142 Osc. nomin. plur. «iidem», vet. «eisdem».

**izic** 231,1 7 14 29 30 Osc. pronomen demonstrativum masculinum nomin. sing. «is».

**íok** 136,37 42 Osc. **ioc** 231,4 Osc. femininum nomin. sing. «ea».

**ídík** 136,17 18 Osc. neutrum nomin. sing. **idik** 129,3 5 Osc. **idic** 231,6 9 30? Osc. accus sing. «id».

**ionc** 231,12 17 26 Osc. masculinum accus. sing. «eum».

**íak** 95 Osc. femininum accus. sing. «eam, hanc».

**iosc** (**iusc** Bréal) 231,20 masculinum nomin. plur. «iidem» post Buggium ap. Kuhn. II p. 386 alii.

**iafc** 8 Marruc. femininum accus. plur. «eas» Buggius ap. Kuhn. XXII p. 429 sq.; adverbium «ibi» frustra voluit Corssenus ap. Kuhn. IX p. 148 cf. Vmbr. *eam*, *eaf*, *ef*, *eu* et Buechelerum lex. ital. p. XI a.

*idus* Varr. l. l. VI 28: «Idus ab eo quod Tusci Itus, vel potius quod Sabini Idus dicunt».

**Iefis** 284 Osc. nomen virile nomin. sing. «Iegius» CIL. X 4166 *P. Iegius P. l. Martialis*, *P. Iegius P. l. Philochedes — Iegiae Cypridi — Iegia Sabina* al.

**iſi** 167 Osc.

**íív** 103 Osc.

**imaden** 142 Osc. nomen adiectivum superlativi gradus femininum abl. sing. *en* postpositione adiuncta «ima in» ad litteram, «ab ima

[1]) In archetypo tit. 129,11: *huntrusterashuntrusa-* quod *huntru steras huntru sa-* «infra -as infra—» legitur et explicatur a Buechelero rhein. mus. XXXIII p. 57 sq., *hontros teras hontros a. . .* «inferos terrae inferos a. . . » a Buggio altit. stud. 52 sq., quem ut videtur, postea probavit Buechelerus lex. ital. p. XI a.

Digitized by Google

(parte), a fundamento» ad sensum; de *ima-* ex *inf(u)ma* contracta cf. Buechelerum lex. ital. p. XI b.

**ímbrtr**? 162 Osc. «imperator?» sed cf. *embratur* et Nissenum pompejan. stud. p. 501.

**in** praefixum vocabulis *in-cubat* Pael. *i]n-peratoribus* Falisc.-lat.

**in** 72 b. Falisc.-lat. praepositio.

**in.** 231,12 15 16 19 21 22 bis 26 28 bis **en** 231,9 Osc. per compendium scriptum '*inim*', **en** 231,9 «in»: *en eituas* «in pecunias» Bréalius mem. soc. lingu. IV p. 392 sq.

**ínim** 97, 136,3 6 7 12 18 [19] 37 39 43 51 55 **í[ním** 136,20 ειvε]ιμ 253 Osc. **íní** 142 bis, 160, 161, 162, 163 Osc. **inim** 129,2 4 5 11 bis 231,6 Osc. **i[nim** 129,5 «et».

**inom** 35 Pael. «et» Vmbr. *enom, ennom, eno, enem, ene, eine*, Lat. 'einom' tit. rom., 'enim'. Buecheleri lex. ital. p. VIII a.

**incubat** 14 Pael. praesens indicativi activi 3 pers. sing. «incubat».

**i]nperatoribus** 72 a. Falisc.-lat. dat. plur.

**Ioveís** 82, 142 Osc. **Ioves** 8 Marruc. nomen dei genet. sing. «Iovis».

**Iove** 40 Mars. 42 Lat.-mars. **Iovei** 72 b. Falisc.-lat. **Iuveí** 112 bis Osc. dat. sing. «Iovi».

**Iovia** 8 Marruc. deae nomen, casus non est certus: potest esse et dativ. et nomin. et vocat.

**Iovias** 8 Marruc. genet. sing. «Ioviae» cf. Corssenum ap. Kuhn. IX p. 144 sq.

**Iovio** 11 Vest. dat. sing. «Iovio» cf. Corssenum ap. Kuhn. XV p. 244.

**Ioviia** 142 Osc. nomen adiectivum accus. sing. «Ioviam».

**I]ovies** 40 Mars. **Ioviois** 34 Pael. dat. plur. «Ioviis».

**iovent** 72 a. Falisc.-lat. «iuvent».

**iovilas** 112 a. Osc. **iuvilas** 112 b. Osc. nomen substantivum femininum nomin. plur. «iovilae» Buechelerus jenaer litt. zeit. 1874 p. 609 pro «iuvantes res (deliciae)» Corsseni ephem. epigr. II p. 163. Buecheleri interpretationem esse veram, ex *diuvil.* . . tituli 113 item Capuae nuper reperti (cf. s. v.) elucet. Buecheleri lex. ital. p. XI b. rhein. mus. XXXIX p. 316.

**Iovkiíoí** 136,4 Osc. nomen virile dat. sing. «Iovicio», a Latinis non usitatum. cf. Buechelerum comment. Momms. p. 229.

---

[1]) Quomodo legendum sit ειvκαπιδιτωμ tit. Anxiani, parum scio. Coniectura Corsseni ειν καπιδιτωμ significat «et ollarium» Kuhn. XVIII p. 196 sqq.; auctore Buggio ειvκαπιδ ιτωμ fortasse est «incepit idem» ap. Bezzenbergerum X. p. 114 sq. cf. altit. stud. p. 84.

Digitized by Google

**íp** 136,34 Osc. **ip** 13 Pael. adverbium «ibi», Vmbr. *ife*.

**íst** vide p. 105.

**Íst.** 189 Osc. nota ad Istacidios pertinens: CIL. IV *L. Istacidi*, cf. ap. Iul. de Petra tav. cer. di Pompei 7 (p. 32) *N. Istacidi Amici* 66 (p. 56) *N. Istacidi Pronim(i)* 68 (p. 57) *N. Istacidio Nyctino* al.

ITALIA 281 c. Latine inscriptum nummis Corfiniensibus Oscis.

**Iuneo** 60 Falisc. nomen virile nomin. sing. «Iunius».

***Iuno Quiritis*** Faliscorum vide Muelleri -Deeck. etrusk. II p. 44.

**Iunonei** 72 b. Falisc. deae nomen dat. sing.

***Iuppiter*** vide *Feronia*.

**Ivda?íieosii** et **Idiie[osu** 216 Osc. scriptura maxime dubia.

CORSSENVS: *irim irkesie* in lapide Grecchiano, aliter Deeckius in appendice. Nescio, quid sit IƆƎI tit. 156 c.

# K C Q

**C. Ca.** vide sub. G.

**K.** 72 b. Falisc-lat. nota praenominis virilis.

**-k, -c** pronominibus adfigitur demonstrativis *ekas-k*, *eki-k*, *eiʒais-c*, *eiʒaʒun-c*, *id-i-k*, *iʒ-i-c*, *ia-k* al. Osc. *iaf-c*, *esu-c* Marruc. *ecu-c*, *eci-c* Pael. cf. *esum-e-k*, *it-e-k* al. Vmbr., Lat. 'heis-ce, han-ce, ec-ce' al. Buecheleri lex. ital. p. XII b.

**Kaal.** 83 Osc. nota praenominis virilis. cf. *Kalaviis*.

**cadeis** 231,6 Osc. nomen substantivum genet. sing. «iniuriae» Buecheleruus qui comparat cum κάδος, κεκαδῆσαι, 'cadamitas' (Mar. Victorinus p. 8, 15 K), quod olim fuit pro 'calamitate', ap. Brunsium IV p. 46 not 9 cf. lex. ital. p. XII a., Bréalius cum antiquo 'calvere —insidias struere' mém. soc. lingu. IV p. 391.

**kahad** 129,6 bis 8 Osc. praesens indicativi activi 3 pers. sing. «incohat, capit» Buechelerus, a quo hoc vocabulum comparatur cum 'incohare', κιχήσομαι rhein. mus. XXXIII p. 31 sq., Buggius altit. stud. p. 34 sq.

**Kaha** 232 Osc. nomen proprium virile nomin. sing. «Caha».

**kaías** 81 Osc. incerti significatus, genetivus sing. videtur.

**kaíla** 142 Osc. nomen substantivum femininum accus. sing. «κοῖλον, caulam caulas templi, περίβολον» Buechelerus jenaer litterzeitung 1874 p. 610, quem sequitur Nissenus pompejan. stud. p. 535 sq.; «cellam» olim explicabant Aufrechtus zeitschr. f. vgl. sprachf. II p. 57 alii; «caelatum signum» Corssenus ephem. epigr. II p. 166 sq. alii. cf. Varr. l. l. V 20.

**Kai.** 206 c. Osc. nota nominis virilis cuiusdam.

Digitized by Google

**Caio** vide sub G.

**Caisidis** 252 a. nomen virile nomin. sing. «Caesidius». cf. CIL. IX 3896 *Caesidia P. l. Flo.* 4623 *Caesidia T. f.*, 3977 *Caesidiae Avile—Cesidio?* al.

**Kaisillieís** 112 bis Osc. nomen virile genet. sing. «Caesellii» cf. CIL. IX 1713 *Q. Caesellius Q. l. Surus—Q. Caesellius O. l. Pamphilus* al. 1239 *Caesellia Paul.* . al. cf. s. v. *Cesilia.*

**kaispatar** 129,5 Osc. praesens coniunctivi passivi 3 pers. sing. ad sensum «caedatur» coniectura Buecheleri rhein. mus. XXXIII p. 22 sqq.; imperativus passivi 3 pers. sing. «caespite tegitor» Buggius altit. stud. p. 27 sqq.; prorsus aliter Bréalius rev. crit. 1878 p. 91, cui *patar* «*pater*» videbatur.

**Kala**. 270 c. **Kalat**. 270 b. **Kalati**. 270 a. Osc. notae ad urbem Calatiam pertinentes.

**Calavau** 23 Pael. cognomen virile nomin. sing. pro *Calavans* «Calvanus».

**Kalaviis** 107 Osc. nomen virile nomin. sing. «Calavius, Calvius». cf. Iul. de Petra tav. cer. di Pompei. 1876 n. 25 (p. 41) *M. Calavi Secu[ndi]*.

Καλινις 253 Osc. nomen virile nomin. sing. «Calinius».

**Kaluvis** 229 Osc. nomen virile nomin. sing. «Caluvius».

**Kamp[aniis** 156 a. Osc. nomen virile nomin. sing. «Campanius». cf. CIL. 3847 *M. Campanio M. fil. M. nep.—Marcello* 3940 *C. Campanio col. lib. Vrsulo* al., 4273 *Campania Felicissima* al.

**Cantovios** 45 Mars. nomen virile nomin. sing. «Cantuvius» cf. CIL. I 849 *L. Cantin(ius) A. l.* 850 *L. Cantulius.*

καπιδιτωμ 232 nomen verbale neutrum accus. sing. ad sensum «ollarium lat. 'capis, capidis', Vmbr. *kapide*, *kapidus* vocabulis comparatis Corssenus ap. Kuhn. XVIII p. 202 sq., sed cf. p. 105 et 115 coniecturam Buggii; καπιδιτωμ legit Buechelerus lex. ital. p. XII a.

**Kapv**. 269 Osc. nota ad Capuam pertinens.

**karanter** 129,9 Osc. praesens indicativi passivi 3 pers. plur. «pascuntur, vescuntur» Buechelerus secundum glossam Placidi quae sequitur: rhein. mus. XXXIII p. 42 sqq.

***Carta*** Placid. gloss. 29, 19 ed. Deuerl.: «carensis pistoribus a caria quam Oscorum lingua panem esse dicunt».

**carneis** 231,3 , Osc. nomen substantivum femininum genet. sing. «partis» post AK. umbr. spr. II p. 332 sqq. vulgo. cf. Buggium ap. Kuhn. II p. 386 sq., Buechelerum lex. ital. p. XIIa.—Vmbr. *karu*, *karnus*, *karne* al.

Digitized by Google

***cascus, casinum, casnar*** Varr l. l. VII 28 29: «In carmine Priami quod est: 'Veteres Casmenas cascam rem volo profari | Et Priamum' cascum significat vetus; eius origo Sabina quae usque radices in Oscam linguam egit. Cascum vetus esse significat Ennius.— Item ostendit quod oppidum vocatur Casinum; hoc enim ab Sabinis orti Samnites tenuerunt, et nostri etiam nunc Casinum forum vetus appellant. Item significat in Atellanis aliquot Pappum senem, quod Osce casnar appelant...» De varietatibus lectionum huius loci et de significatu 'nostri' lege Mommsenum unt. dial. p. 349, de Quintiliani I 5, 8: «in oratione Labieni sive illa Cornelii Galli est in Pollionem casnar assectator e Gallia ductum est» et de Casnasiis inscriptionum Latinarum in Aprutino inventarum (CIL. IX p. 709 col. 2) cf. l. l. p. 268. Nonius: «casnares seniles Varro Sexagesi: vix etfatus erat, cum more maiorum ultro casnares arripiunt et de ponte in Tiberim deturbant».

**casnar** 14 Pael. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «senex».

**Caso** 45 Mars. praenomen virile nomin. sing. «Caso».

**casontonia** pro *casontoniai* 45 Mars. nomen substantivum femininum genet. sing. ad sensum «conventus» Iordanus quaest. rom. subsic. 1883 p. 7 pro *Casontonio* «Casuntuniorum» lectione falsa priorum.

**castrovs** 231,13 Osc. genet. sing. «fundi» cf. Vmbr. *kastruvuf, castruo* al., Lat. 'castrum, castra.'

**castrid** 231,8 Osc. nomen substantivum abl. sing «fundo».

**Kastrikiieis** 162 Osc. nomen virile genet. sing. «Castricii» cf. CIL. IX 1781 *A. Castricio Achilleo—Castricia* 1782 *Castriciae Isidorae.*

***catus*** Varr. l. l. VII 46: «cata acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini».

**Cavi Cavia** vide sub *G.*

**ce-** particula quasi δεῦρο significans praefigitur verbis: cf. *ce-bnust* Osc. lat. 'ce-do, ce-tte'.

**cebnust** 231,20 Osc. futurum exactum activi 3 pers. sing. «venerit» Buechelerus lex. ital. p. XII b. qui ut vulgo vocabulum in *ce*-praefixum et *bnust-*benust* «venert» dividit; «convenerit» Bréalius mém. soc. lingu. IV p. 396, qui hanc formam ex **cobenust-*combenust* derivat.

**Ce.** 64, 69 Falisc. nota praenominis virilis cuiusdam.

**keenzstur** vide *censtur.*

**ceip.** 45 Mars. titulus magistratus cuiusdam per compendium scriptus quasi «imperator» Buechelerus rhein. mus. XXXIII p. 489 sq.

Digitized by Google

**cela** 49, 50 Falisc. nomen substantivum femininum nomin. sing. «cella» ad sensum «sepulcrum».

Κεμρς 237 Osc. nomen hominis nomin. sing. «Cemerus».

**censaum** 231,20 Osc. infinitivus activi «censere».

**censazet** 231,19 Osc. futurum activi 3 pers. plur. «censebunt» post Buggium ap. Kuhn. II p. 382 vulgo.

**censamur** 231,19 Osc. imperativus passivi 3 pers. sing. «censemino, censetor», quam formam primus recte interpretatus est Curtius zeitschr. f. alterthumswiss. 1849 p. 346.

**censtomen** 231,20 Osc. nomen substantivum accus. sing. *en* postpositione adiecta «in censum».

**keenzstur** 95 Osc. **censtur** 231,27 28 Osc. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «censor».

**censtur** 231,18 20 **kenzsur** 83 Osc. nomin. plur. «censores».

**Cepio** 79 Falisc. praenomen virile nomin. sing. «Caepius». cf. CIL. I 377 *Piso Caepio* Q. 582 *Q. Caepione* IX 5206 *M. Caepioni T. f.*

***Ceres*** vide *Lebasius.*

**Cerfum** 13 Pael. nomen deorum genet. plur. «Cerorum» Buecheler rhein. mus. XXXIII p. 281.

**Keri** 129,1 3 12 Osc. **Kerrí** 87A3 B7 Osc. **Cerri** 28 Pael. nomen deae dat. sing. «Cereri».

**Cerie** 8 Marruc. nomen deae dat. sing. «Ceriae» vulgo, «Caelesti» Buechelerus lex. ital. p. XIII a; nomin. vel vocat. sing. «Ceria» Corssenus ap. Kuhn. IX p. 151.

**Kerríoí** 87A13 **Kerriioí** 87B16 Osc. nomen adiectivum masculinum dat. sing. «Cerrio, Cereali».

**Kerríiaí** 87A4 6 22 23 24 B11 Osc. femininum dat. sing. «Cerriae, Cereali».

**Kerríiín** 87A2 Osc. «in Cerrio, in Cereali», de terminatione cf. *hortin.*

**Kerríioís** 87A9 10 Osc. masculinum dat. plur. «Cerriis, Cerealibus» Buecheleri lex. ital. p. XIII a. umbricorum p. 80 et 99 rhein. mus. XXXIII p. 281 XXXVII p. 644; Bréalii mém. soc. lingu. IV p. 142 sq. cf. Grassmannum ap. Kuhn. XVI p. 175. Lat. *Keri* genet. sing. CIL. I 46, *Cerus dvonus «creator bonus»* ap. Varr. l. l. VII 26.

**Kerríiaís** 87 A7 Osc. femininum dat. plur. «Cerriis, Cerealibus».

**Cesilia** 57 Falisc. nomen mulieris nomin. sing. «Caesellia». cf. *Kaisillieis.*

**Cesula** 58 Falisc. praenomen muliebre nomin. sing. «Caesula». cf. CIL. I 168 *Cesula Atilia.*

**cetur** 43 Mars. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «centurio»

Digitized by Google

Garruccius syll. ad n. 562 bull. arch. napol. n. s. I p. 12 sq., quem probat Buggius ap. Kuhn. XX p. 428 sq.; «quattuor» coniectura Secchii teste Mommseno unt. dial. p. 326.

**cevs** 231,10 Osc. nomen substantivum masculinum nomin. sing. «civis» vet. «ceivis».

**Char** 22 Pael. cognomen virile fortasse pro *Chars Charus* «Carus».

**Kí.** 195 Osc. nota praenominis virilis.

**Kiípiís** 168 Osc. nomen virile nomin. sing. «Cipius» cf. CIL. X 8071 (34) *Cipi Hilar.* (35) *P. Cipi Hymni* (36) *P. Cipi Polybi* al.

**Clipeai**? 66 Falisc. **Clipi[ai**? 65 Falisc. scriptura dubia. cf. libri mei IIMD. p. 54 sqq.

**Clipeario** 67 Falisc. nomen virile nomin sing. «Clipearius».

**Cloil** 109 Osc. plena sit forma nomin. sing. *cloilio-* stirpis «Cloelius» an imperfecta, parum scio. CIL. X 4086 *M. Cloelio M. f. Arabo* 4087 *M. Cloelius Nicepor M. Cloelius Dasius M. Cloelius Agato* al.

**Klum.** 128 Osc. nota nominis virilis fortasse «Clumnius» cf. Etrusc. *Clumnei* F. 1648.

**Kluvatiis** 129,9 Osc. nomen virile nomin. sing. «Cluatius» vet. «Clovatius».

**Kluvatiium** (**Kluvatiiom** Bugg.) 129,10 Osc. accus. sing. «Cluatium».

**Kluvatiud** (**Kluvatiod** Bugg.) 129,2 Osc. abl. sing. «Cluatio».

**Kluvatiium** 110 bis Osc. genet. plur. «Cluatiorum». cf. CIL. X 1065 *Cn. Clovatio Cn. f.* 7393 *Clovatia C. l. Tertia Clovatiae C. l.*

**Km.** 88, 105 bis Osc. nota «Comius Comii f.» vel «Cominius Cominii f.» cf. Fest. p. 326: «Comio Castronio» et s. v. *Comni.*

**co-** vide *kom* praefixum.

***coenaculum*** Faliscorum Var. l. l. VI 162.

**koiníks** 154 Osc. mensurae nomen nomin. sing. χοῖνιξ.

**coiraveront** 72 b. Falisc.-lat.

**coisatens** 31 Pael. perfectum indicativi activi 3 pers. plur. «curarunt» vet. «coirarunt». cf. Bréalium revue arch. 1877 p. 412, Buecheleri rhein. mus. XXXII p. 640 lex. ital. p. XIII b. Vmbr. *kuratu, kuraia*, sed *Koisis* nomen.

**kom** 1 Sab. **com** 231,15 23 **com** 231,16 Ocs. praepositio ablativum regens «cum», vet. «quom»; de *kom* I cf. Deeckium in appendice.

